



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XXXIX. Gebhard von Bortfeld, Herrenmeister des Johanniter - Ordens, weiset einem von den Tempelherren Gebrüdern Bertram und Busso von Greifenberg in der Pfarrkirche zu Königsberg gestifteten Altare ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

eidem tutele ad manus predictorum cesserunt voluntarie, quousque dicti pueri ad debitum sue etatis peruenerint, sine impedimento quolibet pacifice possidendam. Pro qua quidem commissione et collatione a predictis Henningo et Heinricho de Sydow in L marcis argenti Brandenburgensis Ottoni de Ylburg, dapifero nostro, expedite pecunie nostri nomine dicimus fore satisfactum. Iuribus nostris saluis. Debeamus etiam et volumus eisdem pueris bona ipsorum ipsis rite pertinentia conferre, quam primum ad etatem debitam deuenerint, contradictione nostra qualibet quiescente. Datum anno domini M. CCC. tricesimo quarto etc.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. C. 4 in quarto).

XXXIX. Gebhard von Bortfeld, Herrenmeister des Johanniter-Ordens, weist einem von den Tempelherren Gebrüdern Bertram und Basso von Greifenberg in der Pfarrkirche zu Königsberg gestifteten Altare statt der ihm entzogenen Hebungen aus Bahn solche in Zornsdorf und Quartschen an, den 2. April 1335.

In nomine Domini Amen. Universis et singulis, ad quorum noticiam deductum fuerit prefens scriptum, Nos frater Gheuehardus de Bortvelde, preceptor generalis sancte domus hospitalis sancti Johannis Jerosolymitani per saxoniam, Marchiam et Slaviā, volumus esse notum, Quod de consilio et consensu commendatorum et fratrum, apud nos in nostro provinciali capitulo in domo nostra Nemerowe anno date presentium celebrato, concorditer annuimus et consensimus de fundacione et dotacione ejusdam altaris in honorem sancte Katherine virginis in ecclesia civitatis Koningesbergh ad domum nostram Roreke pertinente, per dominum fratrem Bertramum de Grisenberghe, militem ordinis milicie templi quondam facienda, sub hac forma, quod dictus Bertramus redditus sex marcarum argenti Brandeborgensis annue pensionis ad dotem dicti altaris constituit in oppido Bane de censu lignorum et quorundam mansorum ibidem solvendos annuatim. Adhuc idem Bertramus Dei dono sane vixit, sed ipso post modum de medio sublato, cives oppidi Bane in reprobum sensum conversi, fidelitatis nobis sollempniter preste immemores, a nobis se perfide diverterunt et pensionem predictam cultui divino deputatam prophanis et temerariis ausibus non solverunt. Nos vero recolentes piam devocionem dicti Bertrami et memoriale suum sanctum non esse derelinquendum in secula, propter malignitatem civium predictorum domino Borchardo de Tzachowe et plebano ibidem, cui dictus Bertramus altare predictum contulit prima vice, recompensam fecimus nec non successoribus ipsius in dicto altari perpetuis temporibus duraturam tali modo, videlicet quod in villa nostra Tzorbensdorf in mansis melioribus dicte ville septem marcarum redditus assignavimus eidem et successoribus in dicto altari ejusdem et unam marcam, ultra sex prius assignatas superadditam, Dominus Basso, dicti Bertrami germanus et plebanus in Koningesberge, adauxit et pro ipsa restaurum condignum nobis fecit. Et si mansi dicte ville casu aliquo non sufficerent exsolvere dictarum septem marcarum pensionem, tunc de molendino ante curiam Quartzan vel de ipsa curia Quartzan exsolvi assignamus dictas septem marcas. Et si dicta solucio non fieret die sancti Martini confessoris et episcopi, ex tunc ecclesia et locus

Quartzan interdicto subiacebit, donec dicte septem marce rectori altaris predicti in oppido Koninghesberg perfolvantur. Si eciam contingeret nos curiam et proprietatem Quartzan alienare aut permutare, tunc rectori et altari predictis taliter cavere debemus, quod divinus cultus et dos altaris nullum ex hoc capiant detrimentum. Si eciam villani de Tzorbensdorpe dictas septem marcas debito tempore non exsolverent, nos rectori predicto cooperari debemus ad extorquendum easdem jure spiritali aut temporalis vel eciam pignorum captione. Ut autem permitteremus fundacionem et dotacionem predictas et dotem in bonis nostris assignaremus, dicti germani Bertramus et Bosso pie memorie nobis nonaginta (sexaginta) marcas cum dimidia marca argenti Brandenburgensis exsolverunt in utilitatem et necessitatem nostras verfas (et dominus Henningus de Wardenberghe, eiusdem ordinis milicie templi quondam, volens se dicti altaris pia fundacione et dotacione facere participem et confortem triginta marcas eiusdem argenti nobis super addidit in profectum nostrum similiter verfas, pro quo benefacto sibi concorditer concessimus, quod ad dictum altare clericum ydoneum possit presentare, quociens vacaverit temporibus sue vite). Insuper plebanus in Koninghesberg (ordinis et religionis nostre), quicumque pro tempore fuerit, patronatum et jus presentandi ad altare predictum clericum ydoneum perpetuis temporibus obtinebit. Et si plebanus in presentando tardus aut dolosus ultra quindecim dies fuerit, quicumque plebanus aut quocienscunque maliciose hoc fecerit, tocies jus presentandi ad altare predictum clericum ydoneum concedimus consulis dicte civitatis Konigesberghe, ut nostro nomine possint clericum ydoneum presentare. Hujus rei testes sunt dominus Johannes de Wardenberghe, ordinis milicie templi quondam predictus, magister Johannes, magister scolarium antiquus, magister yo, Bosse (Bolle) de Stendal, Henricus de Stendal, Coppeke de Zwet, Hedeko (Heydeke) et alii quam plures. Datum Nemerowe, Anno domini MCCCXXXV, dominica qua cantatur judica me. (Nostrae domus de Quartzan fratris Johannis de Buk in Rorike et fratris Henrici paris in lezna Commendatorum in Testimonium premissorum sub sigillis.)

Aus Dittmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives fol. 25 und 183, verglichen mit zwei Original-Ausfertigungen des Königsberger Stadtarchives No. 32 und 33, von denen die letztere sich von der ersteren durch die in Parenthese eingeschlossenen Zusätze und Abweichungen unterscheidet.

XL. Markgraf Ludwig befehlt Bolle von Stendal in Königsberg mit Hebungen in Litzegörde, am 25. Juni 1335.

Anno domini M. CCC. XXXV^o., in künigspurg, in crastino beati Iohannis Baptiste, Contulimus dicto Bollen de Steindal, cui in künigspurg, eiusque heredibus duos choros silynins pacti pheodalis annuatim in molendino Lycegoriken, eo iure et more, sicut strenuus miles Nicolaus Albus dictos choros dinoscitur possedisse. Datum etc.

Aus einem Copialbuche des Geh. Staatsarchives (I. Cod. 4 in quarto).